



Universitätsbibliothek Paderborn

**Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum
Vitæ, tum Officii Pastoralis**

Musart, Charles

Monachii, 1654

III. Scholarum triuialium cura, & Magistrorum, haberi debet à Parochis:
quænam leges esse debeant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

308 *Institutionum Pastoralium*
NVM: III.
Scholæ.

DE Gymnasiis, & Academiis, Princi-
pes viri, & sumi Magistratus cu-
rant: neq; iam desunt, qui maioribus
iis studiis, & disciplinis ludū aperiant.
Parochis ea cura incumbit, vt triuiales
scholas in Parochiâ habeant, in quibus
ab idoneis magistris parua, & rudis A-
etas primis saltem literarum Elementis
legendo, scribendōq; informetur; fitq;
tunc facile, quod teneri adhuc illi ani-
mi facile imbuātur: refert autē id plu-
rimū bono publico, & vitę hominum
cūm coīmuni, tūm priuatæ, ad erudien-
dum animū, & varia emolumenta. O-
lim Episcopi, in Concilio Oecumenico
sextō (prout referunt Canones reperti
Gandaui, in Monasterio S. Bauonis)
mandārūt, vt rurales Presbyteri per vil-
las, & vicos scholas haberent & quidē
gratis, nisi quid parentes spontē offer-
rent. Et in Synodo Moguntinâ an. 813.
mandatur, vt parentes filios mittant
ad

ad Presbyteros, à quibus erudiantur: Igitur tui etiam erit id muneris. Magister, quem constitues, non magis peritus huius artis tradendæ sit, quam probus, & sanæ fidei, ne cum puerili doctrinâ improbos mores, & errores impios, quod facillimum est, innocentibus animis infundat; nam ferè ut quisque à teneris opiniones, morisque imbabit, seruat in longam ætatem: quare attendendum, ne ex libris aut hæreticis, aut aliâ lue infectis, venenum hauriant. Præter literas aliqui, quibus purior, & gravior vox influit, etiam in cantu edoceantur, quò in rebus diuinis decantandis viles euadant. Suæ etiam leges scholæ præfigantur, quas exactè obseruent. Prima, secundum parentes magistrum colant, eique obtemperent. Secunda, in scholam ingressi coram sacrâ aliquâ Imagine Pater & Aue deuotè recitent. Tertia, ne fabulentur, nugentur, scholam perturbent. Quarta, ne sine causa,

fâ,

310 *Institutionum Pastoralium*
sâ, & excusatione absint. Quinta, ad
rem diuinam bini deducantur, eique
piè inter sint. Sexta, mendaçia, furtâ, iu-
ramenta, blasphemiae non tolerentur,
sed puniantur. Septima, pueri à puellis
seorsim erudiantur, nec sinantur fa-
miliariūs, nec publicè, nec priuatim
ludere, aut iocari; nocent hæc vitia
dici nequit quantum, isti ætati in-
omnem vitam. Lectiones breui aliqui
precatiunculâ ad Deum, aut Beatam
Dei Matrem finiantur. Diebus Sab-
batinis ante meridiem Litanias Lau-
retanas ab uno præeunte altâ, & de-
uotâ voce, post meridiem verò actum
amoris Dei, & veræ contritionis
actus ex certâ formulâ ab omnibus per
partes recitari plurimùm faceret; cùm
vt ipsi multo vñi eas preces addiscant,
tùm vt alios domi, eadem récitando,
doceant. E re denique foret, in locis
præsertim paulò celebrioribus, gyna-
cea, seu contubernia constitui, vbi
adolescentiores puellæ puellaribus

arti-

artibus instruerentur, iis præsertim, quæ acu exerceri solent; ut commoda & utiles aliquando esse possint vel famulæ, vel matresfamilias.

NVM : IV.

Confraternitates, sine Sodalitia.

Sodalitatum quarundam instituendarum initia, aliqui procul reputant ex Marco Porcio Romanorum Prætore, qui receptis Sacris Magnæ Matris, conflatam sodalitatem suo tempore gloriatur, in quâ sodales, victimæ, & poculis cum æqualibus se oblectabant: unde sodales dicti, quod soli non ederent: ea res deinde hucusque cum nomine propagata; nam ciues eiusdem opificii, aut artis, qui ad communes exercitationes congregantur, & collatis symbolis conuiuia agitant, sodales, & eorum cœtus sodalitates appellantur. Nomen deinde ad sacra traductum, & res in melius commutata: congregations enim piorum hominum.